

ex qua constat parte, non indigeret, effectq; simplex, cum non sit pluralitas sine necessitate ponenda. Quemadmodum ergo pura, mera, & infinita est diuini esse perfectio, sic & eius simplicitas est pura, atque immensa: ergo in sua summa, & pura simplicitate habet, & possidet omnem prorsus perfectionem, ita q; ex natura rei nulla in eo est attributalis perfectio distinctio. Imò si in ipso vna attributalis perfectio, ab alia ex natura rei distingueretur formaliter, nulla earum esset in seipsa perfecta, neque alterius in se supersimplicissima contentiua, cum nulla res in se in omnimoda simplicitate contineat, realiterq; includat entitatem, seu perfectionem a se formaliter ex natura rei distinctam, sed potius perficiatur per illam.

¶ Præterea in circumscribibile esse Deit' est sua immensa simplicitas, sua infinita perfectio, & sua opulenta prorsus illimitata: ita q; oia ista ex natura Dei, sunt vna supersimplicissima vnitatis totius, non identitatis penitus exclusiua, ac necessaria: & quicquid in ea est, in omniaria simplicitate est absolute extremæ, ac infinite perfecti, & opulentiissimi, nullo non eodem indigens, nec aliquid tale admitrens. sicq; esse diuinum, æternum, & increatum, est in seipso perfectio separata, subsistens illimitata in omnimoda simplicitate comprehendens, imò potius verè super substantialiter, ac supersimplicissimè consistens, quicquid pertinere potest, aut excogitari ad perfectionem: ita, q; sine omnimoda distinctione, & non identitate ex natura rei est infinita sapientia, immensa potentia, interminabilis pulchritudo, opulentiæ, nobilitas, beatitudo, dulcedo, virtus, & sanctitas, & quicquid huiusmodi poteri cogitari. ¶ Insuper sicut sapientia Dei, omnem capacitatem mentis creatæ, & omnem sapientiam creatam infinite excedit, sic & simplicitas Deit' ergo directè ei repugnat omnis non identitas, atq; distinctio ex sua natura, cum omnis mens benè disposita capere possit, imò, & dicat, ac protestetur, id esse simplicius, in quo ex natura rei nulla est non identitas, & nulla distinctio ex sua natura, q; id in quo est aliqua, non idéitas, & distinctio ex natura. ¶ Amplius, ista non stant simul, q; in aliqua re ex sua natura, sit summa perfecta pura, & infinita idéitas, & item ex sua natura quedam non idéitas, sed in esse diuino est summa perfecta, pura, extrema, & infinita ex natura rei idéitas: imò talis, ac tanta, q; maior cogitari non valet: ergo nulla non idéitas, nulla formalis distinctio est in eo ex sua natura. ¶ Ad hæc, si inter attributa diuina est ex natura rei, quedam non idéitas, seu formalis distinctio, cum supersancto, & supergloriosissimo Deo infinita, aut certe innumerabilia attributa conueniant, sequitur, q; in eo sint infinitæ, seu innumerabiles quedam non idéitates, seu ex natura rei distinctiones, quæ cum summa simplicitate plenissima idéitate, atque purissima vnitatem, non stant, imò simul sumptæ tot non idéitates videntur vni reali distinctioni, aut diuersitati æquiuale. ¶ Potremò, sicut præactum est, vni quodque tantò perfectius, ac purius est tale, quanto impermixtius suo contrario, seu quanto minus habet, adiunctum de suo opposito: quemadmodum albedo tantò est purior, & subtilior tantò est albius, quanto ab omni alio colore immuniior, & in suo colore intensior. Sic, & aurum tantò purius perhibetur, quanto minus de omni alieno metallo emiscetur. Nec illa stat simul, q; aliquid sit prorsus albisimum, aut aurum extreme purissimum, & tamen aliqd de alieno colore alio, vel metallo habeat sibi admixtum: & multo impossibilius est aliqd esse albisimum, & tamen innumerabiles quædam non albedines, seu distinctas coloreitates si-

bi esse immixtas. Similiter impossibile est, aliqd esse purissimum aurum, & tamen sibi esse immixtas plures aliorum metallorum formalitates. Cõformiter dici nõ potest, q; in perfectissimum, ac supersimplicissimo Deo sit pura, & infinita simplicitas, vnitatis, atq; idéitas, in sine totius simplicitatis, idéitatis, ac vnitatis: & tamen sint in eo tot non idéitates, & ex natura rei, formales attributaliu perfectionum distinctiones.

¶ Iterum, sicut præactum est, sem philosophum in prædicamentis, vnum in substantia facit idem: vnum verò in quantitate facit æquale: & vnum in qualitate efficit simile. cum ergo in diuina substantia, seu essentiali Dei perfectione sit ex natura rei purissima vnitatis, extrema, & summa in sine vnitatis totius oportet in Deo, esse idéitatem omnino plenissimam, nec inter attributa diuina ullam esse ex natura rei non idéitatem, aut distinctionem formalem quemadmodum in aliquibus sit vna penitus quantitas vnæ qualitas, necesse est in ipsis consistere puram æqualitatem, ac plenam similitudinem, ab omni non æqualitate, & nõ similitudine alienam. Ad istud probandum induci possent, multa argumenta similia, quorum multa iam tacta sunt, sed ista reor sufficere, præsertim cum tot sancti doctores, totque excellentissimi in theologia magistri, qui ante Iohannem Scotum fuerunt, concorditer fenserint, inter attributa diuina nullam esse non idéitatem, aut formalem ex natura rei distinctionem. Et non itatis oppositæ, videntur Scotus fuisse inuentor, qui nullam sanctorum autoritatem, habet pro se, imò dicitur mox innotescere, autoritates maioris, & senioris, quas allegat pro se, si ritè intelligantur, directè sunt, & militant contra eum: & est opinio sua ita summis philosophis, quam supremis theologis contraria. Nempè in libro de Causis, in cõmento quartæ propositionis asseritur: In esse puro, & vero, quod Deus est, non est multitudo aliquorum modorum. Quod si verum est, multò minus est ibi multitudo non idéitatum, atque formalis ex natura rei distinctio in supersimplicissimo Deo. ¶ Rursus in eodè dicitur libro: Primam est diues per seipsum, & diues in aliis, & significatio huius est vnitatis eius: non quia vnitatis eius sit sparsa in seipso, imò vnitatis eius est pura, quoniam est simplex in sine simplicitatis, & additur ibi, Si autè aliquis vult scire, quòd causa prima est diues, projiciat mætēm suam super res compositas, & inquirat de eis inquisitione pscrutata: inueniet enim omne cõpositum esse diminutum, & indigens, aut alio, aut rebus, ex quibus componitur. Res autem simplex, quæ est bonitas, est vna, & vnitatis. His conlatur quod in elementatione theologia Procli, Platonici fertur. Omne vnitum, alterum est à per se uno. Omne enim vnitum participat aliqualiter vno. Ideo unum est, & nõ unum, quod autem per se unum est, nequaquam unum est, & non unum: quia est, unum purum, in quo nihil nõ unum. Hinc Plato asserit in Phædone, quòd anima similis est enti diuino, & immortalis, intellectu, uniformis, ac indissolubilis, & semper similiter secundum idem se habenti. Aristoteles, quoque subtilissimè demonstrat, q; Deus sit purus actus, & ens absolute perfectum, ac infinitum, adeo simplex, quòd in ipso sunt idem, esse, posse, & agere. ¶ Insuper diuinitissimus, sacratissimus, & theologice summus Dionysius, de summa, & incomprehensibili deitatis simplicitate, & vnitare, atque attributorum idéitate purissima, in variis tractat locis, præsertim in libro de diuinis nominibus, iuxta cætera dicit: Pro cõfessiones thearchicæ sunt discretiones, quibus diuina bonitas in seipsa summe simplex, seipsam variè, ac multipliciter cõmunicat

Confirmatur p'dicta autoritate bus.

Proclus.

Plato in Phædone

Aristotæl.

S. Dionys.